

Nf. 40.

Hoc volumine continentur.

- 1., Tittmann. De consensu philosophorum veterum in summo boro definitendo. Lips. 1793.
- 2., idem. Num religio revelata omnibus omnium temporum hominibus accommodata esse possit. Lips. 1796.
- 3., idem. De animis iuvenum in gymnasii ad pietatem Christianam formandis. Lips. 1827.
- 4., idem. De iure episcopali in ecclesia evangelica. Lips. 1827.
- 5., idem. Memoria Herriti Theophile Fischirneri. Lips. 1828.
- 6., eiusdem ad Chr. Dan. Beckum de mutationibus literarum epistola. Lips. 1829.
- 7., idem. De summis principiis Augustanae confessionis. Lips. 1830.
- 8., idem. De articulo 16. foederis Germanici. Lips. 1830.
- 9., idem. De locis Matth. 10, 34. 35. Lut. 12, 49-51. Lips. 1830.
- 10., idem. Lexici synonymorum in n. T. spec. 5. Lips. 1826.
- 11., idem. Lexici synonymorum in n. T. spec. 6. Lips. 1827.
- 12., idem. Lexici synonymorum in n. T. spec. 7. Lips. 1827.
- 13., idem. Lexici synonymorum in n. T. spec. 8. Lips. 1828.
- 14., idem. Lexici synonymorum in n. T. spec. 9. Lips. 1828.
- 15., idem. Lexici synonymorum in n. T. spec. 10. Lips. 1831.
- 16., idem. De novi Particularum in n. T. fasc. 1. Lips. 1831.
- 17., idem. De novi particularum in n. T. fasc. 2. Lips. 1831.





NVM

RELIGIO REVELATA
OMNIBVS OMNIVM TEMPORVM HOMINIBVS
ACCOMMODATA ESSE POSSIT

P R O L V S I O

Q V A

AD

A V D I E N D A M O R A T I O N E M

D. XXII. IVN. A. R. S. CICIOCCCLXXXVI

H. L. Q. C

IN ACADEMIA LIPSIENSIS

PROFESSIONIS PHILOSOPHICAE

EXTRAORDINARIAE

A D E V N D A E C A V S A

RECITANDAM

OBSERVANTER INVITAT

IOANNES AVGVSTVS HENRICVS TITTMANN

PROF. PHILOS. EXTRAORD. ET THEOL. BAGG

L I P S I A E

EX OFFICINA SOMMERIA.

MAY 16

osmurgit in omnius multo somniorum et somniis huius etiam
tempore ambo sibi atque discipulis suis, quod natus anno
septuaginta annos postea T. Scipio C. A. et opif exposito est inter
collegiorum et cladem homini auctoritate numerocis annis
et annis, ita ut nullus nullus in aliis iniquid in exercitu etiam
instandebat sed in exercitu quibus secesserat et nullus annos numerocis

Cum ante hos non ita multos annos de neglecto philosophiae
et literarum humaniorum studio conquererentur viri intelligentissimi,
existimantes vniuersam eruditionem et maxime religio-
nis doctrinam eadem ruina interituras esse; non facile praenide-
re poterant, intericto breui temporis spatio ita plane muta-
tam esse rerum faciem, vt, propter contemtum reliquarum
disciplinarum fere omnium, non excitanda, sed reprimenda et
minuenda yideri possint communia doctorum hominum studia
philosophica. Etenim quamuis non probamus querelas eorum,
qui omnem philosophiam, propter nonnullorum male philosophantum
temeritatem capitali odio persequuntur, putamus
tamen, ne philosophiae et rationis humanae fines praeter mo-
dum extendantur, etiam atque etiam cauendum et iustam reli-
quarum disciplinarum possessionem, cuius maximam partem
philosophi nunc occupare cupiunt, omni studio defendandam
esse. Alienum esset quidem ab hoc loco, longius enarrare,
quam immoderata philosophia, semel admissa, se iactare soleat,
eiusque temeritatem in singulis locis demonstrare. Vnum
tantum videbimus, et per se grauissimum et nostri seculi
ingenio in primis accommodatum. Ut enim sua ipsius natura
magnifica est et superba ratio humana, ita facillime labitur

tunc, si ad diuinum numen cognoscendum euolare, et giganteo
quasi conatu coelum adscendere audet; de quo olim iam con-
questus est aliquo loco I. A. Ernesti, Theologus summus huius-
que literarum vniuersitatis decus immortale, et nonnullos
ita se *ἀποδεκτως* arbitrari dixit, vt nihil esset, cuius se certissimam rationem afferre posse desperarent, et hac demonstrandi scientia subnixi et *ἀποδεκτην φύσην φυσῶντες* incederent.

Nam quicunque disciplinam Christianam integro animo
professi sunt inde ab antiquissimis temporibus, existimariunt ad
unum omnes, religionem christianam sic esse comparatam, vt
non huic aut illi seculo, sed omnibus omnino seculis, non huius
aut illius aevi hominibus, sed vniuerso generi humano destinata
esset atque accommodata, hocque fuisse auctoris sapientissimi in ea
promulganda consilium. Sed nostris temporibus fuerunt suntque
cum maxime, qui de ea longe aliter statuant, aut spe audaciores,
aut nimis extollentes res humanas. Neque vero id tantum sibi
volunt, quod ipsis facile concesserit intelligentissimus quisque,
in religione christiana et cognoscenda et explicanda et conser-
tenda ad usum vitae humanae indies elaborandum esse felicius,
fieri posse et futurum esse, vt a maiori parte hominum accu-
ratius aliquando cognoscatur colaturque sanctius; sed longe
aliter sentiunt. Putant enim, religionem nullam, villo tempore
traditam diuinitus, ne christianam adeo, omnibus numeris abso-
lutam, omnibusque omnium temporum et hominum ingenii
accommodatam, et usque ad finem rerum humanarum vim aucto-
ritatemque diuinam habituram esse, ac talem religionem ne co-
gitari quidem posse, imo vero rationi humanae maxime repu-

gnare; sed religionem reuelatam quamicunque imperfectam esse et temporariam, mutatisque rebus humanis, et ipsam mutandam et magis magisque perficiendam esse, eamque esse vim rationis humanae, eam rerum humanarum indolem, qua indies excolenda, pernenturi sint homines eo, ut religione tali, qualis nunc est, ne opus quidem habeant.

Atque de hac opinione disseremus nunc nonnulla, demonstrabimusque, *tradi potuisse aliquo tempore atque in vniuersum tradi posse diuinitus religionem, vniuerso generi humano aptam, idoneam et necessariam*, id est, *perfectissimam et omnibus numeris absolutam, atque eiusmodi religionem omnino cogitari posse, nec rationi humanae villo modo repugnare*. Haec autem quaestio cum sit philosophica, philosophica quoque demonstratione opus habet, in primis quoniam ii, qui contrarias partes tenent, philosophice se tantum versari gloriantur, quamquam in non nullis etiam historice, quod fieri tamen non debebat, disputauerint. Vtemur autem argumentis tribus, quorum *primum* petemus *ex ipsa religionis natura*, quam ita comparatam esse demonstrabimus, ut omnino perfectissima cogitari possit, *alterum ex consilio reuelationis, tertium denique ex naturae humanae indole*.

Ante omnia vero monenda quaedam videntur esse de *natura* religionis reuelatae, omnibus numeris absolutae seu perfectae. Potest autem aliquid perfectum dici, ratione habita vel obiecti, vel subiecti, ut in scholis loquimur; et subiecti quoque varius modus esse potest; quod discriminem, etsi grauiissimum, tamen neglectum esse vidimus in hac disputatione. Etenim vius eiusdemque rei alia ratio est, si spectaueris id, quod ei

objectionem est, alia vero, si consideraueris id, in quo versatur (*subiectum*), alia denique, si ad modum, quo usurpari solet, respixeris. Atque vna eademque res vel *per se*, vel *huic aut illi* perfecta, alii vero imperfecta esse potest, vel quia, mutatis rebus suis, minus utilem sibi esse videt, vel quoniam ea legitimo modo non utitur. Sic oeconomia Mosaica perfecta fuit temporibus et hominibus illis, quibus destinata erat, licet nostris temporibus imperfecta dicenda sit. Religio christiana et ipsa, quamuis perfectissima, tamen tractata ab humanis ingeniosis, omnia facile, atque adeo diuina deprauantibus, tantum amittere potest, et vere amisit olim, dignitatis utilitatisque, ut videatur minus perfecta esse, nec visibus hominum satis accommodata. Verum in hac nostra causa sermo non est, nec esse potest de modo, quo visi fuerint homines olim vel nunc quoque viantur religione renelata, sed potius de consilio, cui inseruire debet, et quo tradita sit, aut tradi possit diuinatus, quaerendumque, num fieri potuerit, ut ex consilio diuino patesferet religio eiusmodi, quae futuris seculis omnibus, omninoque vniuerso generi humano apta esset et idonea, quamque adeo humana ratio et necessariam semper agnoscere, et omnibus numeris absolutam existimare cogeretur; de quo quidem rationem humanam iudicare posse ac debere facile concedimus. Est enim haec vis eaque indoles naturae humanae, ut suis ipsa legibus ad religionem ducatur, cum intelligat, summum numen, quod praesit rebus humanis easque regat sapientissime, necessario cogitandum esse et fide sanctissima colendum. Ut igitur omnis religio cum natura humana et legibus aeternis rationis necessario

coniuncta est, ita quoque religio renelata, ex hac ipsa necessitate judicari debet, quatenus humanae rationi in hac re iudicium concedi potest. Nam limites certi sunt rationis, quos, quamdiu in hoc terrarum orbe et in hoc corpore mortali versabitur, transgredi poterit nunquam, quamvis in eo vehementer placere sibi videantur nonnulli, qui rationem illis veluti carceribus nullo modo contineri posse putant, atque quod sperant, id propterea quoque fieri posse existimant, non intelligentes, hoc esse philosophi non docentis, sed optantis, hoc est, ut ait Ciceron aliquo loco, valde pusilli et minuti. Sed religionis perfectionem iudicandam esse ex ipsis consilio, hoc vero ex humanae naturae rationibus, nemo facile negauerit. Iam si qua religio reuelata ita comparata est, ut vniuersusque hominis atque adeo totius generis humani desiderii ac necessitatibus omni ex parte penitus satisfaciat, et nisi mutatis rebus omnibus et ratione ipsa penitus mutata, abrogari vñquam nullo modo possit aut superflua videri, eam omnibus temporibus, quam diu homines supererunt, accommodatam omnibusque numeris absolutam dicere iure nostro possumus.

Primum igitur, vt putamus, *ipsa religionis vñuersae natura* evidenter docet, religionem reuelatam eiusmodi, quae sit omnibus numeris absoluta, hoc est, omnibus omnium temporum hominibus accommodata et necessaria, cogitari omnino posse atque adeo etiam cogitandam necessario esse. Est enim in hac disputatione religionis reuelatae et naturalis vna eademque ratio, atque vt haec, ita quoque et illa omnibus omnium hominum ingenii accommodata est et esse debet, sic, vt, si illa

perfecta et communis esse non possit, haec multo minus sic dicenda sit, et, si in rebus humanis causae reperiantur, propter quas illa communis et necessaria dici non possit, eas in hac quoque locum habeant necesse sit; contra vero, si haec perfecta et omnibus hominibus necessaria cogitari possit, eodem modo et illa sic cogitari possit ac debeat. Scilicet *causas religionis omnis* non arbitrarias esse ratione hominum aut temporarias, sed necessarias atque aeternas, facile quisque concederit. Est enim ratio humana ita comparata, ut notionem numinis summi eiusque cultum non possit non admirare, nisi iners et sine consilio ac spe misserrime errare voluerit. Quamdiu ratio humana erit, ut nunc est, manebit autem semper humana et ad felicitatem immortalitatemque adspirans; tamdiu notionem auctoris rerum omnium, sapientissimi sanctissimique legislatoris et arbitri summi nullo modo superfluam existimare poterit aut arbitrariam. Oriuntur autem ex illa, Dei rerumque humanarum, arctissima coniunctione, *rationes*, (quas Graeci *σχέσεις* dicunt, nostri *Verhältnisse*) quae nullo modo possunt arbitrariae haberi aut temporariae. Nam sicut leges rationis ipsae, ut concedunt omnes, aeternae sunt et necessariae, ita quoque rationes illas, quae inter Deum et homines intercedunt et a legibus rationis necessario pendent, aeternas esse et necessarias oportet. Quis enim, quae-
so, sibi persuadere voluerit, rationes illas non nisi ab hominum arbitrio pendere, atque mutari subinde posse, cum negare nemo possit, rebus humanis vel maxime mutatis, tam
mentis humanae vim et naturam eandem perpetuo futu-
ram esse, eandemque humanitatis indolem? Aut num putauerit

aliquis, si hanc *virilem*, de qua somniant nonnulli, aetatem aliquando, excesserimus, si Diis placuerit, rationis aliam viam aliasque indolem fore? vel seculis nonnullis transactis, nisi forsitan decrepita et ridicula senectus sequatur, non leges solum rationis, sed ipsam rationem adeo mutatum iri, ut, quippe perfectissima, ne opus quidem habere legibus illis videatur? Cum vero omnis religio contineatur rationibus, quae deum et genus humanum intercedunt, aeternis et necessariis, intelligitur, turpissime errare, qui, negantes gravissimum illud obiectiuæ et subiectiuæ, ut vocamus, religionis discrimen, non solum miscent omnia, verum etiam nomen tantum religionis superesse volunt, ipsam religionem tollere omnino videntur. Etenim legibus illis sublati, a quibus religio omnis pendet, ipsa quoque religio tollitur et humani ingenii arbitrio relinquitur. Neque profecto vident his ipsis rationibus, quas mutabiles esse putant, et pro varietate rerum humanarum varias, niti omnem vim mentis humanae, atque eodem iure leges rationis dici posse arbitrarias, non vero necessarias, sanctas et immutabiles, quas tamen aeternas esse volunt, iactantes rationis aeternam vim et *avt^αg^κειαν*. Concedant igitur, aut ipsas leges rationis esse arbitrarias, quod, nisi ipsam rationem tollere velint, nullo modo possunt, aut relationes, quae cum illis legibus necessario coniunctae sunt, et sine quibus hae ipsae ne consistere quidem possunt, eodem modo aeternas esse atque immutabiles. Sed virent ipsi, quid concedendum sit; nos eorum errores malumus, quam inconstantiam, qua nihil minus decet philosophum. Sed nisi illud concesserint, falsissimum est, quod ei opponitur, reli-

gionem tantum subiectiuam esse, et mutabilem ac temporariam. Nam sicut vel maxime absurdum esset, singulis, ratione praeditis, leges scribere necessarias et omni tempore obseruandas, et tamen rationis in se spectatae communem quandam formam, seu ideam negare; ita quoque aut nulla omnino religio esset, aut ipsius quaedam forma et immutabile quasi exemplum cogitandum est, omnium mentibus inhaerens, imperans et, quamdiu genus humanum in his terris versabitur, omnibus ratione praeditis leges imponens aeternas et necessarias. Ut igitur est vna eademque lex rationis sancta et inviolabilis; ita quoque est eadem religio, per se spectata, eademque erit quoque eius vis et natura aeterna; nam eadem semper erit mens humana, eadem ipsius et aeterna cum summo numine coniunctio, eadem legum necessitas, idem denique immortalitatis desiderium. Pulcherimus in hanc rem est locus *Ciceronis*, (ap. Lactant. L. VI. c. 8.), quem adscribere non dubitauimus. Est enim hic: Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari potest; nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore vna lex et sempiterna et immortalis continebit; vñusque est communis magister et imperator Deus ille, legis huins inuentor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet et naturam hominis aspernabitur. Neque minus praeclara sunt verba *Sophoclis* a¹ quo loco, vbi dicit, praecepta diuina a nullo mortalium mutari posse, neque hodie tantum aut cras, sed semper eandem auctoritatem apud omnes refinere:

— 11 —

τὰς φαλῆς θεῶν

γέμιμ' ἐκ τοῦ θυντὸν ὅντ' ὑπερδραμεῖν
ἢ γάρ δὴ νῦν γε κακόθεος αὐλάς αἱς ποτε
ζῆ τάυτα. —

Sed illud quidem negare nō audent, leges rationis aeternas esse, perpetuas et necessarias, religioni vero id concedere nolunt, profecto sine causa idonea. Neque enim mens humana alias vñquam rationes excogitabit, quibus obstrictam se deo sentiet, neque immortalitatis spe supercedere poterit, nisi vel se ipsa turpiter decipere, vel credere voluerit, numen sanctissimum spem humanam irritam redditurum esse; quod vel suspicari nefas esset. Sed per illas rationes, quibus summa religionis continetur, cum deo, tamquam auctore, legislatore, imperatore supremo et dispensatore iustissimo homines omnes arctissime coniuncti sunt, et manebunt in aeternum, quotquot erunt, ab ipso originem repetentes, leges ab ipso latae necessarias recipientes, rerum suarum exitum ipsi tradentes, ab ipso denique vitam aeternam et immortalitatem exspectantes. Iam etsi de his rationibus admodum diuerte iudicauerint omnium temporum homines, atque in posterum quoque indicaturi sint, sic, vt religio subiectiue, (vti dicunt vulgo) spectata, non in tribus aut quatuor hominibus eadem esse videantur; nam et cuiusque ingenio exornari vel deformari sensibus et moribus populi variis modis accommodari solet; tamen vna eademque est, vt est vnu Deus, auctor omnium creaturarum intelligentium, vnu et aeternus rerum nostrarum vindicta et arbiter; neque eam licet vlo modo permittere arbitrio hominum, quasi possint, pro suo quisque

ingenio et libitu, mutare illam necessitudinem et suo se more
coniunctos cum deo existimare, sed ut vna est et aeterna lex
naturae, recta ratio, ita aeterna est et immutabilis religionis ab
omnibus sanctissime colendae necessitas. Neque externa reli-
gionis forma et modus, interpretandi illam legem, hoc referri
potest, quem quidem constat semper fuisse mutatum et diuer-
sissimum inter homines; unus enim est explanator et aeternus
legis vindex, deus, quem si vel maxime non agnoscent quodam
tempore homines, dicendum quidem est, inter eos nullam esse
aut falsissimam religionem, nihilo minus tamen religio ipsa su-
perest immutabilis et perpetua, modo neglecta et repudiata ab
hominibus miserrimis. Sed cum ea sit natura eaque vis religi-
onis, ut omnibus temporibus eadem habenda sit, intelligitur
facile, falsissimam esse eorum opinionem et temeritatem, qui
quamlibet religionem dicunt mutabilem esse, quippe mancam
et imperfectam, et ne cogitari quidem posse religionem perfe-
ctam et omnibus numeris absolutam. Quaerimus enim nihil
nisi hoc, num cogitari possit religio, omnibus temporibus apta
et necessaria. Vidimus autem hactenus, in notione et natura
religionis nihil esse, quod repugnet religionis notioni perfectae
eo sensu, quo diximus; imo vero ex ipsa religionis natura pa-
tete euidenter, eius perfectissimam ideam esse amplectendam.

Iam quod de religione in vniuersum monuimus, id quoque
in reuelata locum habere necessario debet. Primum enim si ve-
rum est, quod modo vidimus, lege aeterna rationis contineri
causas religionis perfectissimae, rationemque sua sponte tenere
posse notionem religionis omnibus temporibus accommodatae

et necessariae, quamvis, ut lubentissime concedimus, omnia, ad ipsius necessitates spectantia, ratio neque sua vi assequi, nec exspectare, nisi fide sanctissima, potest, (loquimur enim tantum de idea et forma quasi religionis, cui quae insunt, et inesse debent, nondum definitum est); sequitur, fontem diuersum cognoscendae religionis plane non mntare posse ipsius naturam. Sed si eiusmodi religio, per se spectata, Iocum habere potest, nec sibi repugnat, eandem quoque, in promptu est, tradi posse peculiari modo diuinæ sapientiae. Nisi forsan opinari voluerimus, humanis viribus effici posse, quod tradere apt noluisset aut ne potuisset quidem deus summus et perfectissimus. Deinde vero etiam, quoniam eadem ytriusque causa est, eademque cum ratione et rebus humanis coniunctio, intelligitur, reuelatae quoque religionis necessitatem et aeternam *incavortura* cogitari posse.

Sed veniamus ad *alterum* argumentum. Existimamus enim *ex reuelationis diuinæ consilio* sententiam nostram defendi posse atque ostendi, religionem reuelatam eiusmodi, quae omnibus omnium temporum hominibus apta sit, idonea et necessaria, cum ratione nullo modo pugnare. Etenim qui aliter sentiunt in hac re, non nisi de reuelata religione disputant eiusque necessitatem negant, naturalem autem, de qua paulo gloriosius statuere solent, silentio praetereunt, quasi existimant, per hanc vnicre religionem perfectam teneri posse. Atque illud quidem concedunt omnes, cogitari posse institutionem diuinam singularem in rebus ad religionem pertinentibus, negant autem, consilium diuinum in tradenda quodam tempore religione, ad

omnia tempora omnesque omnino homines pertinere posse, atque putant, reuelationem quamlibet non nisi certi cuiusdam aeni hominibus instituendis destinatam esse et necessariam, futuris autem seculis nullo modo obtrudendam esse. Igitur demonstrandum est, consilium diuinum in tradenda religione, omnino cogitari posse vniuersale, pertinens ad omnes omnium sequentium temporum homines. Neque tamen hoc loco ad vsum et experientiam recurremus, aut historice disputabimus, quanvis et hic reperiantur argumenta satis grauia ad causam nostram defendendam; sed manebeimus tantum in notione reuelationis in vniuersum atque ostendemus, siue ipsam religionem diuinitus traditam spectaueris, siue consilium diuinum in ea tradenda consideraueris, nihil esse, quare dubites, eius necessitatem et vsum omnibus communem esse posse.

Ac primum quidem religionem ipsam siue naturalem siue reuelatam vtique cogitari posse idoneam omnibus et necessariam, ex superioribus patet. Et *idoneam* quidem dicere licet propterea, quoniam vna eademque est natura humana, eadem lex rationis et nunc et post hac, quamdiu homines erunt. Atque sicut legem rationis dicimus idoneam esse ad omnes, ratione praeditos, semper constringendos aeternis vinculis, eodem iure ac multo magis religionem reuelatam, quae illam ipsam legem stabilit, vnicie sancit et tuetur, semper aptam et idoneam existimare debemus. Eodem vero modo et necessitas religionis reuelatae defendi potest. Etenim si qua religio reuelata ita comparata sit, vt rationis necessitatibus aeternis vnicie satisfaciat, eamque in munere ipsius obeundo vnicie sustineat et tueatur,

necessaria semper omnibus existimanda erit, et, quamdiu eadem ratio humana erit, sanctissime colenda. Eadem est enim omnibus hominibus eritque semper necessitas, colendi sumnum numen, quod res humanas regit, leges fert et tuetur, vitaeque immortalitatem largitur. Haec enim ad omnem religionem, in primis vero reuelatam, necessario pertinent, et sunt eius capita praecipua, quae, deum esse, docent, legislatorem, felicitatisque et immortalitatis datorem ac vindicem. Si qua igitur reuelata religio haec tria capita tradit, atque, quatenus deus et leges ferat tueaturque et felicitatem concedere velit spemque immortalitatis faciat, ostendit, ea profecto ita comparata est, ut ab hominibus omnibus, quotquot futuri sunt, eandem semper naturam habentes, amplectenda sit et sanctissime colenda.

Deinde vero quod ad *consilium* reuelationis attinet, profecto sibi repugnare et de rebus humanis magnificientius sentire videntur, qui illud tantum temporarium esse posse existimant. Nam si concedunt, leges rationes aeternas esse et omnibus communes, (quod quidem libenter concedunt ita quidem, ut de ratione non humana solum, sed de alia, nescio qua, disputare videantur, quasi non omnis *ratio* sit humana); concedendum quoque est, diuinam sapientiam posse tradere religionem eo consilio, ut, quamdiu durabit haec rerum natura, vnice omnibus et necessario imperet. Tum porro si consilium reuelationis comparabimus cum rebus humanis, intelligimus, nunquam fore tempus, quo superflua illa et inutilis esse possit. Concedent autem omnes, ut opinamur, eiusmodi comparationem non nisi sic institui posse, ut summum finem et consilium, cui hoc ge-

nus mortalium destinatum est, cum reuelationis consilio, quo
a deo tradi possit, conferamus. Atque sic quidem luculenter
apparet, consilium reuelationis ad omnes homines posse perti-
nere. Nam etsi sperandum est et omnibus votis expetendum,
vt genus humanum singulari cura diuina ad maiorem in-
dies perfectionis (sive dicam potius, humanitatis) et felicitatis
gradum ueehatur, sumnumque aliquando fastigium assequatur;
facile tamen quisque intelligit, quam imbecillis sit et imperfec-
cta humana natura, quam prona ad vitiositatem, ad virtutem
vero tarda et iners, quam multa sint et quam graua virtutis
impedimenta, et quantopere haec omnia excitent desiderium,
vt singularis cura diuina semper tueatur religionem, vnicam
vitae magistrum, virtutis adiutricem et expultricem vitiorum.
Atque quamuis noua reuelatione opus non sit; sequitur tamen
nullo modo, religionem reuelatam superflua aliquando fore et in-
utilis. Temere igitur sine dubio iudicant, qui vnicie in eo laboran-
dum esse censem, vt moneatur aliquando quisque rationis magis,
quam legibus diuinis; quod non sperandum est, nisi ab iis, qui
aut humanam naturam non norunt, aut vana spe decipere alios
tentant. Nam quicunque naturam humanam non legendo, aut
somiando, sed ex vitae consuetudine et experientia cognitam
habent, facile intelligent, ad hominum ingenia coercenda, corri-
genda et emendanda semper opus fore auctoritate diuina. Et
qui de perfectione humani generis, nescio qua, somniantes, tem-
pus aliquando exspectant, quo ratio humana neque forsan adeo
suis ipsius legibus opus habeat, ii naturae suae obliuiscuntur,
neque perpendent, perfectionem vel summam, et singulorum

hominum quorumcunque, et generis humani in uniuersum
in perpetuum non nisi imperfectam esse et esse posse. Aut
num eam tandem aliquando putamus fore in hoc orbe rationis
indolem, ut liberata ab omnibus vinculis humanitatis, το φυτον
και της σαρκικον non amplius sentiat, sed merum sit νοντον τι; et
ναθαρον? Nonne potius, vel maxime exculta, semper tamen,
quamdiu cum corpore coniuncta et vinculis humanitatis consti-
cta erit, manca futura est et imbecillis? Neque enim in his ter-
ris finem rerum omnium ponimus, nec in hoc angusto circulo
contineri putamus totum cursum rationis, sed sempiternum hunc
et infinitum fore speramus, in hoc vero quasi gymnasio rationis,
nullam nisi humanam perfectionem exspectare possumus.

Sed dicunt, in unaquaque institutione doctorem quemque
discentium curae et sollertiae necessario relinquere debere multa,
accuratiis excutienda, emendanda, angenda, atque ita quoque
institutionem diuinam in rebus ad religionem pertinentibus non
nisi instrumentum esse posse, cognitionem vberiorem sibi com-
parandi, ac noua et grauiora inueniendi, et propterea imperfectam
esse et non nisi huius vel illius aetatis hominibus sufficien-
tem et utilem. Quod profecto idem esset, tanquam si quis
diceret, tempore Euclidis linearum parallelarum cognitionem
imperfectam fuisse atque adeo emendandam, quippe quod Eu-
clides eorum naturam non demonstrasset, sed posuisse, et recen-
tioribus temporibus addita esset demonstratio, atque propterea fal-
sum esse nec nostris temporibus accommodatum theorema illud:
linea recta duas parallelas transente angulos externos, inter-
nos et alternos inter se aequales esse. Sed spinas quaerunt, qui-

bus, ut aculeis, more Stoicorum incantos pungant, quemadmodum Seneca dixit aliquo loco. Sunt enim capita quaedam religionis et disciplinae morum, menti humanae post sexcenta secula aequae ac hodierno die necessaria atque immutabilia, quamvis melius cognosci et accuratius demonstrari possint. Ita quoque religionis reuelatae capita, etsi hominum de iis cognitio mutari, emendari augerique potest atque adeo debet, tamen ipsa, in se spectata, immutabilia sunt, nec emendatione aut augmentis hominum opus habent. Ac profecto religio est instar fontis uberrimi et sine intermissione largissime profluentis ex quo tot ac tam salubria sapientiae praecepta hauriri possunt, quibus recte cognoscendis et in usum convertendis vel longissima vita vix sufficiat. Attamen negari nullo modo potest, dimensioni sapientiam ac benignitatem in tradenda religione totius generis humani rationem habuisse, atque adeo hanc religionem in se spectatam perfectam esse posse.

Restat denique, ut videamus tertio, religionem reuelatam nullo modo repugnare naturae humanae, hancque ita esse comparatam, ut omnino cogitari possit religio aliqua reuelata, omnibus numeris absoluta, hoc est, omnibus omnium temporum hominibus apta, sufficiens et necessaria (nostri dicunt: die äussere Möglichkeit, Denkbarkeit der Wirklichkeit einer objectiv vollkommenen Offenbarung). Sunt enim, qui putent, eiusmodi religionem reuelatam ne cogitari quidem posse, partim propter imbecillitatem facultatis humanae in rebus ad religionem pertinentibus (Unvollkommenheit der moralischen Empfänglichkeit des Menschen), partim vero propter

naturae humanae finēm sumnum et ultimum eundemque longe
illustissimum (*wegen des höchsten Zwecks der Menschheit*);
nam illam quidem naturam humanam nullo tempore cogi-
tari posse idoneam ad capiendam intelligendamque religio-
nem reuelatam summam et perfectissimam, hunc vero spem fa-
cere certissimam, fore, ut eo usque progrediatur humanum ge-
nus, ut religio reuelata ipsi inutilis, saltem et ipsa magis magisque
perficienda et cuiuscunq; temporis hominibus accommodanda
sit. In quo non vno modo errasse videntur, qui ita statuerent. Pri-
mū enim vsi sunt argumentis historicis et ab experienti peti-
tis, cum tamen tota haec causa sit mere philosophica, et
quaeratur non nisi hoc, num fieri possit aliquid, nec ne;
in quo auctoritas historica locum habere nullo modo potest.
Deinde temere profecto indicarunt de natura hominis, sta-
tuentes, rationi nullos fines esse ponendos, eam potius, legum
suarum immemorēm, noua semper esse inuenturam; quo qui-
dem ratio ingenii humani Iudibrio exponeretur, atque efficeret-
ur, si leges, quae naturam ipsius (*Φύσεων*) constituant, mu-
tari aliquando possint, ipsam vacillare atq; in uniuersum nul-
lam penitus esse veritatis cognitionem. Denique in primis de-
cepti sunt hoc, quod permutarunt religionem *objективam* et
subiectivam, ut vocare solemus, siue, quod idem est, ad reli-
gionem ipsam retulerunt, quod non nisi imbecillitati humani
ingenii in ea cognoscenda et explicanda tribuendum erat. Ete-
niam argumenta omnia, quibus vsi sunt, facile quisque videt
petita esse non a religione ipsa, sed ab iis, qui eam explicarunt,
non a capitib; religionis, sed a virorum doctorum interpreta-

tionibus et opinionibus; unde efficitur quidem, religionem non semper accurate traditam fuisse atque explicatam, sed nullo modo, neam ipsam imperfectam esse. In hac vero re imitati sunt exemplum viri alias longe acutissimi, qui, quae ante hos quinquaginta annos et amplius in schola non bene constituta iuuenis forsai tradi audimerat, ea vsque ad hodiernum diem eodem modo tradi sibi persuasit et religioni vitio vertit. Sed est hoc humano ingenio proprium, ut magnorum virorum via libentius et celerius, quam virtutes, imitari studeat.

Non vero quando existimant, religionem reuelatam eiusmodi repugnare naturae hominis primum propterea, quoniam genus humanum nunquam ita comparatum sit et esse possit, ut vi summa et facultate morali instructum videatur, (*nie die höchste moralische Empfänglichkeit besitze*) atque propter hanc causam religionem reuelatam vnamquamque imperfectam esse, hoc est, non nisi huius vel illius necessitatibus et facultatibus accommodatam et destinatam (*nur für den jedesmaligen Grad der moralischen Empfänglichkeit bestint und passend*) cogitari posse ac debere, intelligi profecto non potest, quomodo haec ratiocinatio cum ratione ipsa consentiat. Nam etsi vnaquaeque institutio hominis ita comparata esse debet, ut sit eius facultatibus accommodata, sequitur tamen nullo modo, quoniam facultas rationis in rebus ad mores et religionem pertinentibus (*die Empfänglichkeit für Sittlichkeit und Religion*) augeri potest ac debet, religionem nullam adesse posse, quae accommodata sit ac destinata cognoscendi facultati stimmae, (*für den höchsten denkbaren Grad der moralischen Empfänglichkeit*), quam quidem as-

sequi in hac vita potest genus humanum. Efficitur potius utique adesse posse relationem, quae contineat principia et causas sentiendi et agendi ultimas, (*die höchsten Gesetze der Moralität*) a quibus omnis ac summa adeo et maxime exulta vis moralis pendere debet, hasque causas non magis perfectione opus habere, quam legem moralē ipsam, in aeternum valitaram, etsi facultas eam intelligendi et seruandi vel minima esse possit. Atque augetur quidem facultas hominum, recte sentiendi de officiis omnibus et agendi legibus diuinis accommodate, sed ipsae leges non mutantur aut emendantur corrigunturque, imo eadem semper sunt aeternae et necessariae, quibus nec addi quidquam nec detrahi ullo tempore potest (*die Moralität an sich, in abstracto betrachtet, ist einer Vervollkommenung weder bedürftig, noch viel weniger fähig*). Igitur cogitari profecto potest reuelatio eiusmodi, quae continet causas illas summas ac praecepta vitae immutabilia et necessaria, omnibusque hominibus, eadem ratione praeditis, apta et idonea, vimque et auctoritatem usque ad finem rerum humanarum habitura, etsi facultas, ea intelligendi in primisque seruandi, atque adeo etiam virtus et perfectio humana vel maxime augetur. Sed idem dici potest de parte religionis theoretica. Nam unaquaeque reuelatio, atque in universum religio quaecunque, continere debet capita nonnulla fidei, quae cum doctrina morum arctissime cohaerent, et aequo necessario ad naturam hominis moralē pertinent, nec minus immutabilia sunt, quam desideria, quibus tenetur humana ratio ac mouetur, quorumque aliquando splendorum spem repeatit non abs re in facto posita, cuiusmodi constat non adesse, sed a

summa Dei benignitate et sapientia per fidem sanctissimam. Haec igitur doctrinæ capita obiecta erunt fidei, quamdiu homines in his terris viuent; atque eodem modo semper ad omnes homines pertinebunt et apud omnes necessario vim habebunt. Ultra haec adscendere humanae rationi licebit nunquam, quippe quae iisdem semper cognitionis limitibus continebitur, eadem desideria sentiet et, quamvis vel maxime perfecta, non nisi accuratiorem horum desideriorum cognitionem, eorumque exsplendorum certiorem spem habebit. Ac nescimus profecto, quodnam et quale cognitionis incrementum hac in re sperare nos iubeant, qui rationem eo usque progressuram esse putant, ut longe alia, quam nunc, et omnia certo et evidenter intelligant. Nam in vniuersum ratio humana compos est incrementi cognitionis perpetui et infiniti, ratione *formæ* quidem, ut ita dicam, non autem ratione *materiae*, hoc est, consequentur quidem homines, quam diu in his terris erunt, rerum scitu necessariarum et ad religionem pertinentium cognitionem accuratorem, neque vero maiorem et ampliorem; sed hae ipsae res, utpote in sensus non cadentes, in perpetuum obiecta erunt fidei, non cognitioni. Est igitur omnino probabile, Deum tradidisse hominibus capita fidei eiusmodi, quae ad necessitates humanæ naturae perpetuas et necessarias spectant, et quae continent omnia, quaecunque homini cuique in his terris ad recte beatitudinem viendum scitu necessaria sunt, et quibus opus habebit post sexcentos annos aequa ac hodierno die. Atque ita reuelatio aliqua continere omnino potest *et non plus ultra* cognitionis humanæ in rebus ad religionem pertinentibus, (quae sollennis est

illis loquendi formula), et capita doctrinae perpetua et immutabilia, quae neque opus habent perfectione maiori, neque eam admittunt, quaeque ratione hominum omnium usque ad finem rerum humanarum eandem habent utilitatem moralem, eandem sufficientiam, denique eandem necessitatem. Et quāvis religio quaecunque, atque imprimis reuelata, habeat hanc vim, et hoc consilium (quod supra iam concessimus), ut, quiunque eam admirerint, indies magis magisque perficiantur, atque ad fidem virtutemque impellantur; ipsa tamen sic comparata esse potest, ut perfectione maiori plane non indigeat, quoniam augmenta in religione quoad eius partem theoreticam et practicam non nisi in hominibus locum habent, (*blos subiectiv*) nuntiaturque iisdem immutabilibus causis et principiis reuelationis, et in illa quidem parte, capitibus fidei, quae cum necessitatibus humanae naturae perpetuis cohaerent, in hac vero praceptis morum, usque aeternis. Igitur aut sibi ipsi repugnant, aut rem non accurate intelligunt, qui existimant, institutionem aliquam religionis perfectam et plenam cogitari non posse propterea, quoniam nullo unquam tempore genus humanum eam capere potuisset, siue, perpetui aliquid et perfecti in reuelatione esse *advator*, quoniam in humana natura sit vis et potentia, rationem et voluntatem indies magis magisque perficiendi. Nam sicut haec vis moralis, quae dicitur, (*die Moralität*) in se spectata una eademque semper est, et augeri nec potest nec debet, ita quoque religio reuelata capita continere potest, quae maiori perfectione non indigent, quoniam continent, quae unusquisque in rebus, ad religionem pertinentibus, scire, facere

et sperare potest ac debet, ac eiusmodi reuelatio ratione naturae hominum moralis vtique esse ac dici potest plena, perfecta, immutabilis et necessaria. Et sit, religionem eiusmodi ab initio non accurate intelligi ab iis, quibus traditur, nec, vt fas erat, coli, efficitur quidem, intelligendi agendique vim acuendam fuisse, non vero, reuelationem ipsam imperfectam esse, atque adeo maiori perfectione indigere. Modo sit ita comparata, vt apud omnes homines vim auctoritatemque habeat, et veri vindredi, mentis collustrandae salutari cognitione, animique emendandi, tranquillandi et ad fidem virtutemque conformandi, vias aperiat.

Deinde vero, quando eiusmodi reuelationem negant, quoniam hoc modo consilium generis humani, progrediendi perpetuo ulterius atque aliquando ad summum perfectionis fastigium adscendendi, impediretur, profecto et se ipsos et vero etiam alios vana spe decipere videntur. Quamnam enim deum perfectionem naturae humanae intelligunt? quodnam eius fastigium summum esse statuunt? Nam quicunque res humanas cognitas habent, etsi optime de iis cogitent ac sperent, concedent sine omni dubitatione, perfectionem summam, quae cogitari possit, ab hominibus nullo inquam tempore teneri posse. Etenim ratio humana iisdem finibus, vt nunc, circumscripta erit semper, iisdemque legibus tenebitur manebitque, quae nunc est, perpetuo, humana scilicet, imbecillis et imperfecta. Summa autem perfectio, quae in humano genere et in his terris expectari potest, cernitur in eo, vt omnes ac singuli ad tenendum finem summum rationis, quantum demum fieri potest, apti

reddantur atque idonei. Unde, nisi adsit finis summus, ad quem dirigatur omnis cursus, isque aeternus et immutabilis, progressus ipse locum habere non potest, nisi existimare volueris, progressum cogitari posse sine consilio et fine. Enim uero cum finis summus naturae humanae nullo modo teneri ac ne cogitari quidem et exspectari possit, nisi adsit summum numen, cum rebus humanis arctissime coniunctum, cum porro rationes, ex hac Dei rerumque humanarum coniunctione ortae, et cum fine ipso copulatae, aeternae sint ac necessariae, cum denique his rationibus contineatur religio omnis, siue naturalis, siue reuelata; sequitur, religionem, quae has rationes exponit ac propterea perfecta est et immutabilis, ad progressum generis humani necessario pertinere, atque hunc non modo non impedire, sed adiunare et promouere omni ratione, sic, ut sine illa nec hic locum habere vlo modo possit. Sed, si ratione hominum religionem consideramus, existimamus, sempiternum progressum in emendanda ipsius cognitione cultaque, optimo cuique exoptatissimum esse debere et commendatissimum. Ac profecto quicunque perfectionem humani generis sperant et optant, omninoque rebus humanis bene cupiunt, de iis mereri possunt non melius, quam si coniunctis viribus animisque omnem operam et studium omne collocent in eo, ut religionis doctrina saluberrima ab omnibus accuratius intelligatur, atque vim suam, in animis hominum edocendis, corrigendis, emendandis beandisque, indies melius exserere ac demonstrare possit; ipsa vero, in omni hostium multitudine, contra omnes omnium infestos impetus, diuinis opibus suffulta, suisque ipsius viribus sustentata, incon-

D

cussa semper et illaesa vsque ad finem rerum humanaarum persistet, tandemque omnium hostium victrix triumphabit. Sic optamus, ita confidimus!

Iam, quae de religione reuelata in vniuersum disputauimus, facile transferri possent ad religionem christianam. Sed multo longior futura esset haec disputatio, quam sinerent huins libelli angustiae; eam igitur ad aliam occasionem differre cogimur. Paucis enim haec praefari visum est hac prolusione, cui scribendae locum fecit *SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS* indulgentia, demandata nobis nuper prouincia, Philosophiae in hac literarum Vniuersitate extra ordinem docendae. Quam cum capessere statuerimus proxime futuro die XXII Iun. h. IX. recitanda oratione :*de finibus philosophiae in religione regundis; RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, SERENISSIMVM PRINCIPEM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, Generosissimos denique et Humanissimos Commilitones nostros*, vt actum illum nosque ipsos sua praesentia atque fauore suo ornare velint, summa, qua par est, obseruantia et humanitate rogamus P. P. in Acad. Lipsiensi Dom. IV. P. Trin.

A. C. CCCLXXXVI.

36 48 29

II

ULB Halle
004 992 687

3



IA-70L

10





NVM
RELIGIO REVELATA
OMNIBVS OMNIVM TEMPORVM HOMINIBVS
ACCOMMODATA ESSE POSSIT

P R O L V S I O
Q V A
AD
AVDIE N D A M O R A T I O N E M
D. XXII. IVN. A. R. S. CICIOCCCLXXXVI
H. L. Q. C
IN ACADEMIA LIPSIENSIS
PROFESSIONIS PHILOSOPHICAE
EXTRAORDINARIAE
A D E V N D A E C A V S A
RECITANDAM
OBSERVANTER INVITAT
IOANNES AVGVSTVS HENRICVS TITTMANN
PROF. PHILOS. EXTRAORD. ET THEOL. BACC

L I P S I A E
EX OFFICINA SOMMERIA.